

enim perfecte amare non potest quin paratus sit omnia ipsius mandata observare : porro in tali dispositione cordis votum confessionis existit : ergo.

Ex eo quod peccata venialia clavibus subijci et vi verborum Christi per absolutionem remitti possint, non sequitur ea necessario confitenda esse, quia cœlum non claudunt.

Quæritur 1° quo tempore præceptum divinum confessionis obliget.

R. 1°. Reus peccati mortalis tenetur habere propositum confitendi, quando tenetur habere contritionem, quia propositum confitendi est annexum contritioni : tenetur autem habere contritionem, saltem sub veniali, ut supra diximus, statim atque peccata memoriæ occurrunt.

R. 2°. Ad confessionem tenetur per se in articulo et etiam in periculo mortis; de natura enim est præcepti positivi ut obliget saltem in casu necessitatis : hinc miles ante prælium, navigatores ante periculosam navigationem in qua deerit copia confessarii, mulier gravida ante primum partum, nisi rationabiliter præsumere possit se partum periculosum non experturam, aut quæ jam partus difficiles experta est, et generaliter quicumque verisimiliter putant se amplius non habituros opportunitatem confitendi, tenentur confiteri si sint in peccato mortali.

R. 3° eum ad confessionem teneri per accidens, quando ad aliquid tenetur quod non potest sine peccato facere nisi confessus; v. g., Eucharistiam percipere, sacramentum administrare, etc.

Extra hos casus autem quanto tempore reus peccati mortalis confessionem differre possit, non constat. Probabilius videtur 1° peccare venialiter, eam notabili tempore differendo, nisi perfecte conteratur, quia sollicitudo propriæ salutis et zelus gloriæ Dei expostulant ut in statu peccati mortalis diu non maneat. 2° Probabilius mortaliter contra jus divinum peccaret, si per annum integrum non confiteretur; nam Ecclesia confessionem saltem annuam præcipiendo, tempus quo præceptum divinum obligaret determinare voluit. Ita communius theologi apud

S. Ligorium, l. 6, n. 633. 3° Nihil invenimus ex quo iudicari possit eos qui semel in anno tantum confitentur, licet mortalia habeant, mortaliter contra præceptum divinum peccare : igitur, ut ait *Billuart*, hoc relinquendum est iudicio prudentum.

Quæritur 2° utrum confessio ex institutione divina debeat esse publica vel secreta.

R. 1° modum confitendi a Christo non fuisse determinatum. Unde per confessionem secretam præcepto divino satisfit, ut expresse definit Concil. Trid., sess. 14, can. 6 : « Si quis dixerit modum secretae confitendi soli sacerdoti, » quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et » observat, alienum esse ab institutione et mandato » Christi, et inventum esse humanum; anathema sit. »

R. 2°. Nunquam existit obligatio generalis peccata occulta publice confitendi. Patet 1° ex Concil. Trid., sess. 14, cap. 5 : « Non satis consulte humana lege præciperetur » ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione » aperienda. » Ecclesia autem nihil inconsulte facit. 2° Ex pluribus testimoniis SS. Patrum supra relatis.

R. 3°. Certum est peccata publica, quædam etiam occulta, *pœnitentiæ publicæ* canonibus statutæ olim subjecta fuisse : id patet ex Historia ecclesiastica, et ex SS. Patribus et conciliis : at non ita constat *confessionem publicam* etiam peccatorum non occultorum stricte præscriptam fuisse ; videmus quidem morem quædam peccata publice confitendi, sive ex mandato Ecclesiæ, sive ex fervore pœnitentium, sive confessario adhortante, per plura sæcula viguisse : nihil amplius novimus, et proinde circa illum quodcumque aliud asserere difficile est. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Confessio sacramentalis necessaria est jure ecclesiastico.

Prob. Illud necessarium est jure ecclesiastico quod ab Ecclesia fuit præscriptum : atqui confessio sacramentalis ab Ecclesia fuit præscripta, nempe in concilio Lateranensi IV, anno 1215, sub Innocentio III celebrato, can. 21,

his verbis: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad » annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata » saltem semel in anno, confiteatur fideliter proprio sa- » cerdoti et injunctam poenitentiam studeat pro viribus » adimplere... alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae ar- » ceatur, et moriens Christiana careat sepultura. » Ergo.

Concil. Trid., sess. 14, can. 8, anathemate percutit eos qui dicerent ad confessionem « non teneri omnes et sin- » gulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni con- » cilio Lateranensis constitutionem, semel in anno. » Ergo.

Ex ipsismet concilii Lateranensis verbis plures nascuntur difficultates quae proponendae et solvendae sunt.

Quæritur 1º an præceptum annuæ confessionis obliget sub gravi.

R. affirmative; idque patet tum ex gravitate materiae, tum ex poenis in concilio Lateranensi decretis, scilicet excommunicatione et privatione sepulturae ecclesiasticae: illae poenae sunt quidem ferendae, et non latae sententiae: attamen, juxta omnes theologos, gravem denotant obligationem. Ergo.

Quæritur 2º quinam præcepto confessionis teneantur.

R. Per verba, *omnis utriusque sexus fidelis*, omnes intelliguntur viri et mulieres qui fuerunt baptizati, et peccati sunt capaces, juvenes et senes, indocti et docti, laici et clerici, etiam parochi, episcopi ipseque papa; nullus Christianus excipitur. *Postquam ad annos discretionis pervenerit* id est cum sufficientem habuerit usum rationis ut peccare possit, proindeque, in regionibus nostris circa annum septimum, in aliis regionibus circa annum quintum. Quidam infantes etiam apud nos ante septimum annum plus malitiae sunt capaces quam alii decem aut duodecim annorum. Unde curare debent parochi ut infantes sibi commissi saltem circa septimum annum incipiant peccata sua confiteri; et si quem peccati mortalis jam reum inveniant confessarii, eum ad absolutionem sacramentalem quamprimum suscipiendam pro posse suo disponant, ne forte imparatus decedat et æternaliter pereat.

Peti potest an hujusmodi infantes præcepto ecclesiastico

confessionis annualis teneantur? Communis usus legem ecclesiasticam in sensu negativo interpretari videtur. Attamen confessarii, et maxime parochi, advigilare debent ut infantes isti, si sufficienter præparari possent, quod rarum est, præceptum impleant, præsertim si peccatis mortalibus videant eos maculatos.

Quæritur 3º an qui nullius peccati mortalis conscius est nihilominus præcepto confessionis teneatur.

R. 1º Certum est illum præcepto divino non teneri: *patet ex dictis*, et omnes id fatentur, modo certus sit se venialia tantum habere; nam in dubio, ad confessionem teneretur. 2º Quoad præceptum ecclesiasticum, omnes pariter fatentur quod, in dubio de mortali aut veniali, confessio sit necessaria. Si vero, omnibus perpensis, certum sit nullum esse peccatum mortale, plurimi dicunt præceptum Lateranense applicationem non habere. Nam, inquit, 1º Concil. Trid., sess. 14, cap. 5, dicit « nihil » aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi quam ut quisque » ea peccata confiteatur quibus se Dominum et Deum » suum mortaliter offendisse meminerit. » 2º Ex axiomatico, *odia sunt restringenda*, dici non potest dari obligationem confitendi peccata venialia, nisi lege ecclesiastica clare exprimitur: atqui hæc obligatio clare non exprimitur, ut ex textu canonis patet: ergo. 3º Fatentibus adversariis, qui simul haberet mortalia et venialia, confiteri non teneretur venialia: ergo fidelis non tenetur vi præcepti ecclesiastici venialia confiteri. Ergo. Ita expresse *Billuart, Tournely, S. Ligorius*, l. 6, n. 667, multos alios citans.

Alii autem opinantur eos qui peccata venialia solummodo habent, nihilominus ad confessionem annuam teneri: 1º quia lex ecclesiastica est generalis, et de obligatione confitendi omnia peccata, sine ulla distinctione, loquitur; 2º quia in dubio an peccatum sit mortale vel veniale, datur, juxta omnes, obligatio illud confitendi: at temerarium foret pronuntiare, quando confessio per totum annum protrahitur, nullum dari peccatum mortale, ne quidem dubium; 3º quia in dubio pars tutior eligenda est: at, in præsentis casu, saltem aliquod est dubium: ergo. Sic. *S. Thomas, S. Bonaventura, Syrius, Ha-*

bert, Collet, Bailly, Theol. Rothomag., aliique plures. Prior sententia probabilior nobis videtur: at posterior est tuior, ac proinde saltem consulenda est in praxi.

Quæritur 4º quandonam illud præceptum obliget.

R. Obligat semel in anno; tempus autem non fuit aliter determinatum: unde qui confessionem ultra annum integrum protraheret, contra præceptum ecclesiasticum mortaliter peccaret. Conc. Trid., sess. 14, cap. 3, sub fine, dicit morem « confitendi, sacro illo et maxime acceptabili » tempore Quadragesimæ, esse salutarem, quem sancta » synodus maxime probat et amplectitur, tanquam piium » et merito retinendum. » Cum sacra communio, ex Ecclesiæ præcepto, tempore Paschali suscipienda sit, mos invaluit ut confessio annua, tanquam illius præparatio, eodem fieret tempore. Unde Ritualia nostra communiter illam præcipiunt pro tempore Paschali, scilicet, a dominica Palmarum ad dominicam in Albis inclusive. Clerus Gallicanus declaravit, in comitiis generalibus annorum 1625, 1635 et 1646, omnes tunc temporis teneri proprio sacerdoti, vel alieno, de consensu ejus, confiteri. Annus igitur sumitur moraliter ab initio *quindenæ* Paschatis unius anni ad finem *quindenæ* sequentis anni.

Licet tamen, ex usu, confessiones audire et absolutionem in ordine ad communionem paschalem impertiri tota die sabbati ante dominicam Palmarum, et non videmus cur nonnullis præcedentibus diebus idem non liceret; Clerus enim Gallicanus tempus Paschatis assignavit, ut confessio annua esset præparatio ad communionem: si autem paucis diebus ante initium Paschatis rite fiat in ordine ad communionem paschalem, et status gratiæ non amittatur, nonne finis statuti obtinetur?

Confessarius prævidens fore ut pœnitens, certis habitibus peccandi deditus, tempore Paschali absolvi non possit, illum ultra conclusionem Paschatis statim remittere potest, nec requiritur ut eum hoc tempore audiat: præceptum quippe per solam susceptionem sacramenti impletur: porro sacramentum in eo casu suscipi non potest, ut supponitur: ergo.

Qui voluntarie in causa est cur sacramentum sibi diffe-

ratur, contra præceptum Ecclesiæ mortaliter peccavit, et, nisi studeat pro viribus ad illud se præparare, iterum atque iterum peccabit; nam, transacto tempore Paschali, præceptum annuæ confessionis semper urget, et quamprimum impleri debet. Unde qui, legitime impeditus, confessionem tempore Paschatis omisit, non peccavit: at, impedimento sublato, tenetur sub peccato mortali quamprimum moraliter satisfacere præcepto. Verum unica confessione rite facta, pro pluribus annis præteritis et pro præsentem tempore Paschatis, simul satisfacit. Qui prævidet copiam confessarii sibi defuturam, tempus prævenire debet.

Datur insuper aliud præceptum ecclesiasticum in Conc. Trid., sess. 13, c. 7 et can. 11, expressum de confessione sacramentali facienda ab iis qui, peccati mortalis conscii, sacramentum Eucharistiæ suscepturi vel missam celebraturi sunt.

Quæritur 5º an qui decursu anni confessus est, iterum confiteri teneatur tempore Paschali.

R. 1º. Si mortaliter peccaverit, procul dubio confiteri tenetur ut ad susceptionem Eucharistiæ se disponat. 2º. Etiam si nullius peccati mortalis esset conscius, saltem confessario se sistere, ut statum animæ suæ ei aperiret, et venialia probabilius confiteri deberet, juxta id quod superius diximus. Hæc præsertim admittenda sunt pro iis diocesisibus, in quibus annua confessio præcipitur facienda tempore Paschatis.

Quæritur 6º an præcepto ecclesiastico per confessionem nullam satisfiat.

R. 1º. Quidam probabilistæ affirmare non erubuerunt satisfieri præcepto Ecclesiæ per confessionem voluntarie nullam: verum Alexander VII et clerus Gallicanus hanc damnaverunt assertionem a qua ipsa ratio abhorret. 2º. Nec per confessionem involuntarie nullam vel cui deest absolutio sacramentalis, dicto satisfiat præcepto; nam Ecclesia non nudam peccatorum declarationem, sed sacramentum Pœnitentiæ completum, cum Deo reconcilians, præcipit. Ergo.

Quæritur 7º quis intelligendus sit per proprium sacerdotem, de quo loquitur conc. Lateranense.

R. Is intelligendus est qui habet ordinariam jurisdictionem in poenitentem, proindeque summus Pontifex respectu omnium Christianorum, episcopus respectu diocesanorum, parochus respectu parochianorum, et quilibet superior regularis, ut abbas, prior, guardianus, rector, respectu subditorum, proprius est sacerdos. Unde fidelis qui confessionem annuam seu paschalem alieno sacerdoti facere intendit, licentiam obtinere debet a paroco vel ab episcopo, nisi ex statuto generali vel ex consuetudine liceat confiteri cuivis approbato, uti jam in pluribus diocesisibus receptum est. De hoc iterum agemus, ubi de jurisdictione.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CONDITIONIBUS CONFESSIONIS.

Sexdecim conditiones confessioni sacramentali plures assignant theologi; alii vero communius aut saltem simplicius eas ad quatuor reducunt, sequenti versu contentas:

Integra sit, simplex, humilis, parere parata.

1° *Integra.* Probavimus enim confessionem jure divino necessariam esse ad obtinendam justificationem post Baptismum: porro, cum unicum peccatum mortale gratiam sanctificantem destruat, si plura admissa fuerint peccata mortalia, omnia clavibus Ecclesiae subjici debent, ad recuperandam gratiam. Confessio igitur debet esse integra, ac proinde sincera, sine ulla dissimulatione.

2° *Simplex;* id est, non verbis fucata nec figuris adornata, sed nuda, clara et brevis peccatorum declaratio.

3° *Humilis.* Cum enim in ordine ad reconciliationem fiat, procedere debet ex intimo sensu indignitatis et sincero dolore cordis; nec igitur excusationes querere debet poenitens, culpas minuendo, eas daemioni, sociis, naturae corruptae, etc., tribuendo.

4° *Parere parata.* Peccator enim humiliter se accusans et gratiam reconciliationis ex postulans, voluntatem habere

debet parendi mandatis confessarii tanquam judicis sententiam proferentis: cum illo igitur non sit contentiosus, disceptans, consilia, objurgationes aegre ferens.

De integritate paulo fusiùs dicendum est, et inquiremus 1° an confessio debeat esse integra quoad numerum, species et circumstantias; 2° quænam causæ ab integritate confessionis excusent; 3° an invalide vel illicite confiteatur qui confessionem dividit vel in ea mentitur; 4° an declaranda sint peccata dubia; 5° an peccata jam confessata vel inculpabiliter ommissa; 6° quandonam facienda sit confessio generalis; 7° an confitendum sit peccatum cum periculo manifestandi complicem; 8° an confessio per litteras sufficiat.

§ I. — De integritate confessionis quoad numerum, species et circumstantias.

Duplici modo confessio potest esse integra, scilicet, materialiter et moraliter: est integra materialiter, si omnia peccata mortalia declarentur, siue ulla exceptione voluntaria aut involuntaria; est autem moraliter integra, quando poenitens nullum tacet peccatum mortale omissione graviter culpabili.

Certum est integritatem materialem non semper necessariam esse, nam sæpe est impossibilis: Deus autem impossibilia non jubet. Sufficit ergo integritas moralis. Id Conc. Trid. confirmavit, sess. 14, cap. 5, dicens: « Constat nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam » ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae suae sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur quibus se Dominum et Deum suum » mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata » quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum » eadem confessione inclusa esse intelliguntur. » Unde oblivio peccati mortalis non excusatur, nisi serium premissum fuerit examen. *His notatis, sit*

PROPOSITIO.

Confessio jure divino debet esse integra quoad numerum, species et circumstantias peccatorum, saltem mutantis speciem, quantum pœnitens moraliter potest.

Prob. 1^o. Hæc propositio fundatur concilio Lateranensi IV, can. *Omnis utriusque sexus*, etc. Conc. Florent. in Decreto ad Armenos, et præsertim concilio Tridentino sic se habente, sess. 14, can. 7: *Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias quæ speciem peccati mutant... anathema sit.*

2^o Sixtus IV confirmavit, anno 1479, decretum episcopi Toletani, damnantis errores *Petri Osmensis*, qui negabat dari obligationem jure divino confitendi peccata in specie, sed tantum, aiebat, jure ecclesiastico.

3^o Idem constat ex textibus SS. Patrum a nobis superius allatis, ut unusquisque attendendo observare potest. Ergo.

4^o Hæc autem integritas fundatur verbis Christi sacramentum Pœnitentiæ instituentis: *Quorum remisistis, etc., et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ostendimus nasci ex his verbis obligationem confitendi peccata ut remittantur: quæ ergo culpabiliter tacentur, remitti non possunt: unde vel unum ex verecundia celare peccatum mortale, horrendum est sacrilegium.

Diximus 1^o quoad numerum, id est, 1^o si pœnitens sciat numerum certum, illum in magna sinceritate dicat, nec augendo, nec minuendo, non tamen ea singulatim contextendo; sufficit ut omnia ejusdem speciei simul enuntiet, dicens, v. g., Ter pejeravi. quinquies omisi jejunium in Quadragesima, etc. 2^o Si numerus certus illi non occurrat, quem a certo minus distare æstimabit assignet, addendo

vocem circiter, v. g., Decies circiter nomen Dei blasphemavi, de superiore meo coram decem personis circiter detraxi, hoc vel illud dicendo, etc. 3^o Si propter nimiam peccatorum multitudinem, nequidem numerus incertus circiter determinari possit, ut communiter accidit iis qui consuetudinem frequenter peccandi habuerunt, maxime si a multis annis confessionem omiserint, sufficit ut dicat se tot vicibus circiter in talia vel in talia peccata incidisse per dies, per hebdomades, per menses, aut etiam per annos, v. g., A triginta annis circiter novies aut decies inebriatus sum singulis annis. 4^o Ubi de peccatis internis agitur, sæpe sufficit ut consuetudinarius dicat se paratum fuisse cogitationi aut desiderio talis vel talis peccati consentire quoties memoria illius sibi occurrebat, et frequenter sibi occurrisse. 5^o Qui numerum certum declaravit, et postea advertit se plura quam dixit admisisse peccata, quæ supersunt declarare tenetur: *patet ex dictis*; qui vero numerum approximantem declaravit, ea quæ postea advertit confiteri non tenetur, si numerum assignatum notabiliter non excedant. Hinc qui confessus est se duodecies blasphemasse circiter, et advertit hoc sibi quindecies accidisse, ad novam declarationem non tenetur; teneretur vero si adverteret hoc vigesies accidisse.

Diximus 2^o quoad species: patet ex can. Conc. Trid. et alioquin confessarius statum pœnitentis sufficienter non agnosceret; aliud quippe est, v. g., Deum blasphemavisse, aliud de proximo detraxisse; aliud hominem vulnerasse, aliud eum occidisse; aliud adulterium, aliud fornicationem commisisse, etc.

Diximus 3^o circumstantias speciem mutantis; constat iterum ex citato canone conc. Trid., et evidenter sequitur ex necessitate declarandi species: hinc aliquis turpia fecit in ecclesia, non solum actus turpes, sed et circumstantiam sacrilegii declarare tenetur. Unde qui peccatum declarando circumstantiam omisit, peccatum iterum declarare tenetur ut circumstantiam aperiat.

Diximus 4^o saltem speciem mutantis, ut a circumstantiis notabiliter aggravantibus abstinere in propositione;

non enim ita certum est eas necessario aperiendas esse. Multi theologi, inter quos *S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Sylvester, Navarrus, de Lugo, Lessius, Bonacina, S. Ligorius, etc.*, negant, et *Billuart* sententiam illorum æstimat probabilem. Hac præcipue ratione nituntur: cum onus peccata confitendi sit grave, extendi non debet ultra id quod a Christo vel ab Ecclesia fuit præceptum: atqui nec Christus, nec Ecclesia declarationem circumstantiarum peccatum intra eandem speciem aggravantium præceperunt. 1º Non Christus, siquidem id non probatur ex Scriptura sacra, neque ex traditione. 2º Non Ecclesia, cum, e contra, sacra Synodus Trid. de integritate confessionis agens, circumstantias solummodo aggravantes exceperit.

Cæteri vero theologi docent, non solum ut tutius, quod omnes concedunt, sed ut verum, dari præceptum divinum declarandi in confessione circumstantias notabiliter aggravantes, et sequentibus innituntur rationibus.

1º *Concilio Tridentino*. Quamvis enim Concilium definire noluerit dictas circumstantias aperiendas esse, ne in hac sicut in aliis materiis controversis theologos catholicos percuteret; hoc tamen grave fundamentum argumentationis nobis subministrat: decernit, cap. 5, circumstantias speciem peccati mutantes accusandas esse, ut confessarii de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. At illa ratio eandem vim habet pro circumstantiis notabiliter aggravantibus ac pro circumstantiis speciem mutantibus: v. g., qui nummum aureum in ecclesia furatus est, præcepto divino confessionis non satisfaceret, dicendo simpliciter se furatum esse. Quis sibi persuadebit illum iisdem verbis satisfacturum, si centum nummos furatus est? Ergo.

2º *Ratione*. Circumstantia mutans speciem declaranda est, quia novam addit malitiam peccato: sed circumstantia notabiliter aggravans, cum per se ad constituendum peccatum mortale sufficiat, circumstantiæ speciem mutantis æquivalet: ergo.

Quamvis hæc posterior sententia, ut pote tutior et fundata, in praxi sit desideranda, non rigorose tamen est præmenda, quia prior sua probabilitate non caret, et onus confessionis non est aggravandum.

§ II. — De causis ab integritate confessionis excusantibus.

PROPOSITIO.

Impotentia, tum physica, tum moralis, ab integritate confessionis excusat.

Prob. Juxta omnes, confessio non necessaria est ad justificationem, ex institutione Christi, necessitate medii, sed necessitate præcepti: istud autem præceptum sapienter fuit institutum, et contrarium sentire impium foret; at sapienter non fuisset institutum, si cum impotentia, sive physica, sive morali, obligaret, quia tunc onus intolerabile foret: ergo.

Hinc 1º impotentia physica ab integritate confessionis excusantur: 1º qui ex ignorantia inculpabili, aut venialiter tantum culpabili, peccata mortalia obliviscuntur; qui meminuit se aliquod grave peccatum admisisse, speciem non recordans, simpliciter dicere potest se mortaliter peccasse. 2º Surdus-mutus et linguæ ignarus, si, deficiente idoneo sacerdote, integre confiteri nequeat, satisfaciet ostendendo signis vel nutibus ea quæ poterit sic exprimere peccata: si scribere possit, et periculum revelationis non timeat, integre confiteri tenetur. Id autem facere per interpretem ordinarie non obligatur, quia sola confessio secreta a Christo fuit præscripta: attamen si in periculo mortis constitueretur et aliter confiteri non posset, tutius ipsi foret ministerio interpretis uti; si tunc aliquis forte inveniretur modus quo interpretes peccatum moribundi non intelligeret, certe eligendus esset; v. g., conveniri posset quod interpretes pœnitentem interrogaret, dum ille manum sacerdotis sub stragulis positam stringeret ad affirmandum, vel relinqueret ad negandum. 3º Moribundus, si inter constitendum deficiat, in phrenesim incidat, aut aliter

confessionem inchoatam perficere non possit, nihilominus absolvendus erit, ut fusius infra dicemus.

Hinc 2^o impotentia moralis ab integritate confessionis excusat, si grave damnum spirituale aut temporale imminet ipsi pœnitenti, confessario aut alteri tertio. 1^o Ipsi pœnitenti, ut si rationabiliter timeat ne ex diuturno examine nascantur motus carnales quibus consentiat, aut si nimis sit scrupulosus in explicandis peccatis, et confessio illi fiat odiosa; tunc confessarius, ubi prudenter judicat id expedire, jubere potest ut interrogationibus suis tantum respondeat. Pariter non requiritur integritas materialis, si infamia timenda sit, v. g., quando moribundus sanctum viaticum, infans primam communionem suscepturus, declarat se peccatum aliquod mortale celasse: item ordinandus ad suscipiendos ordines jam paratus. 2^o Confessario, v. g., si ob morbum contagiosum periculum sit ne, integram confessionem audiendo, peste inficiatur, tunc, uno vel altero audito peccato, moribundum absolvere potest. Caveat tamen ne sibi nimis consulens, officio charitatis erga miserum peccatorem in tali extremitate constitutum desit. Item confessionem abrumpere et pœnitentem statim absolvere potest, si hostis illum insequatur, si naufragium aut incendium imminet. 3^o Alteri tertio, ut si confessarius peccatum suum declarare non possit quin sigillum confessionis lædat: tunc id unum celare potest quod periculum revelationis constitueret. Unde dicere deberet se mortaliter peccasse, vel contra talem aut talem virtutem deliquisse, si speciem absque periculo declarare possit.

Notandum est peccata ob impotentiam moralem reticere non posse, nisi 1^o damnum quod timetur sit grave et certum aut admodum probabile; 2^o alter adiri non possit, sine gravi incommodo, confessarius cui integra confessio fieri valeat; 3^o confessio commode differri nequeat. Peccatum autem justa de causa omissum, in sequenti confessione declarandum est, ut satisfiat præcepto integre confitendi, et hæc confessio non multum differenda est, si adsit confessarius cui absque notabili incommodo fieri possit.

Quidam olim arbitrati sunt magnum populi concursum in nonnullis solemnitatibus esse rationem ab integritate confessionis sufficienter excusantem. Verum Innocentius XI hanc proscrispit opinionem damando sequentem propositionem: « Licet sacramentaliter absolvere dimidiate » tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g., potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ. »

§ III.— An invalide aut illicite confiteatur qui confessionem dividit aut mentitur in confessione.

Certum est cuncta peccata mortalia eidem confessario aperienda esse; nec sufficeret quædam uni confessario et cætera alteri confessario declarare; alia quippe sine aliis remitti non possunt.

Qui venialia declararet, retentis mortalibus, evidenter invalide confiteretur; qui vero tantum reticeret venialia, non invalidam redderet absolutionem, cum non sit præceptum confitendi venialia.

Si quis in peccata mortalia sæpe relapsus, timens ne confessarius ordinarius diutius eum probet vel remotiorem alicujus occasionis præcipiat, alium sacerdotem adeat cui mortalia declaret, absolutionem obtineat, et deinde confessario ordinario venialia confiteatur, invalidum redderet sacramentum ob defectum requisitarum dispositionum. Item qui sic ageret ad obtineendam licentiam frequentius communicandi, aut admissionem ad ordines. Non ita qui in aliquod grave peccatum extraordinarie lapsus, ob verecundiam illud confessario, cui est ignotus, aperiret, et postea ad ordinarium rediret confessarium, nihil, de præfato dicens peccato. Hoc enim receptum est in praxi tum fidelium tum confessariorum.

Qui mentitur in confessione, peccatum mortale aut circumstantiam mutantem speciem vel etiam notabiliter aggravantem, et non rite confessum, negando, mortaliter peccat: patet ex dictis de præcepto omnia confitendi peccata. Qui autem negaret peccatum jam rite confessum et remissum, aliquando mortaliter peccaret, si nempe con-